

Johann Gottlieb Möller Godofredus Neandrus

**De Seculi I. Scriptoribus Philologis, Et Seculi II. Scriptoribus Ecclesiasticis,  
Philosophis, ac Ictis, Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de  
Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus,  
Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Edito, in Disputatione Philologico-  
Philosophica, d. XXXI. Octobr. A. C. M DC XCVII. In Maximo Athenaei Gedanensis  
Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda placide disquiet,**

Gedani: Stollius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463166>

Druck Freier  Zugang





B6-1053<sup>1-31.</sup>



2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.

16.  
17.  
18.  
30  
29  
27  
2  
24.  
26



5.  
DE  
**SECULI I.**  
SCRIPTORIBUS PHILOLOGIS,  
**SECULI II.**  
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,  
PHILOSOPHIS, ac ICTIS,  
EX CHRONOLOGICO  
ILLUSTRIS VIRI,  
**HERMANNI CONRINGII,**

de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,  
EFUSDEMQ; SCRIPTORIBUS, COMMENTARIO,  
NUNC PRIMUM è MSC. A SE EDITO,

in

DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA,  
d. XXXI. Octobr. A. C. M DC XCVII.  
IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,  
JESU GRATIA MODERANTE,  
Solenniter instituendâ, placidè disquiret,  
PRÆSES

**JOH. Bottlieb MOLLERUS,**  
Phil. & Theol. D. Facultatis Philosophicæ in Universitate  
Rostochiensi h. t. Decanus, ibidemq; Gr. L. & in Athenæo Ge-  
danensi Philos. P. P. ac Bibliothecarius.

Respondente

**GODOFREDO NEANDRO**, Gedanensi,

---

**GEDANI,**  
Typis JOHANNIS-ZACHARIAE STOLLII.

6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.

VIRIS

GENEROSIS, PER MAGNIFICIS, MAXIMEQUE STRENUIS,

DN. CHRISTIANO SCHROEDERO,

INCLYTÆ CIVITATIS GEDANENSIS PRÆ-CONSULI  
SENIORI, & PROTO-SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO,

DN. DANIELI *Schlieff*/

DN. CONSTANTINO FREDERO,

DN. ANDREÆ *Gorgmann*/

LAUDATÆ CIVITATIS CONSULIBUS  
& SCHOLARCHIS DIGNISSIMIS.

PATRIBUS PATRIÆ,

DE RE & PUBLICA, & LITERARIA, SUMME  
AC IMMORTALITER MERITIS, & QUOTIDIE  
MERENTIBUS,

BONARUM ARTIUM PATRONIS OPTIMIS,

DOMINIS MÆCENATIBUS AC EVERGETIS  
SUIS MAXIMIS,

Specimen hocce Philologico-Philosophicum,  
in qualemque mentis gratæ tesseram & ulte-  
riorem sui, suorumque studiorum commenda-  
tionem, cum perennantis voto felicitatis sub-  
missè consecrat

INCLUTORUM NOMINUM

*Cliens devotissimus*

GODOFREDUS NEANDER,  
Gedanensis.

SECVLI PRIMI CAPUT V.

CAPUT. V.

De

PHILOLOGIS.

I. Postremò, hāc tempestate floruerunt multi nobiles HISTORICI, POETÆ, ac RHETORES, quorum alii græco, alii latino usi sunt sermone.

II. Et quidem HISTORICI hodieq; supersunt ex ævo hoc, illi: DIONYSIUS HALICARNASSÆUS, Græcus; & T. LIVIUS, Latinus, Romanæ Historiæ scriptor, AUGUSTO CÆSARE; VALERIUS MAXIMUS, VELLEJUS PATERCULUS, uterque Latinus scriptor, TIBERII ætate; quo etiam tempore vixit doctissimus Geographiæ scriptor Græcus, STRABO; Paulò post, ætate CLAUDII, POMPONIUS MELA, atque ex sententia Doctorum, Q. CURTIUS; VESPASIANO autem Cæsare, JULIUS SOLINUS, & JOSEPHUS Iudæus, quem supra memoravimus; sub finem denique hujus, & Exordium sequentis seculi, CAJUS CORNELIUS TACITUS, qui tamen sua scripta demum imperante TRAJANO.

III. POETÆ nobilissimi sunt, Augusti ætate: HORATIUS, VIRGILIUS, CATULLUS, TIBULLUS, PROPERTIUS, GRATIUS, OVIDIUS, GERMANICUS; NERONIS ævo: LUCANUS, SENECA TRAGICUS, & PERSIUS SATYRICUS, VESPASIANO denique & Filiis ejus CÆSARIBUS: SILIUS ITALICUS, CAJUS VALERIUS FLAC-

6.

7.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

*De Philologis. & SECULI II. C.I. de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

**FLACCUS, MARTIALIS, & JUVENALIS,**  
flos ille latinorum Poëtarum.

IV. ORATORUM neminem habemus, quod statim à Ciceronis ævo eloquentia corrumphi cœperit, quod patet ex *Quintiliani Dialogo de Oratoribus*, qui Tacito perperam solet attribui; RHETOR tamen maximus, *QVINTILIANUS*, floruit ætate DOMITIANI; & NERONIS ævo, *JUNIUS COLUMELLA*, doctissimus rei Rusticæ scriptor. Vixit eodem seculo, NERONIS tempestate, *TITUS PETRONIUS ARBITER*, pessimus quidem vivendi artifex, qui tamen ob latinam scribendi rationem hic commemorari debuit. Penè exciderant *ASCONIUS PEDIANUS*, qui Commentarios scripsit in Orationes Ciceronis, ætate NERONIS & VESPASIANI; ac *CORNUTUS PHILOSOPHUS*, qui Grammatica scripsit, item *Commentaria in Virgilium*.

---

## SECULI II.

### CAPUT I.

*De*

## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

---

I.

ALTERO seculo jam per totum terrarum orbem claram erat imprimis *DOCTRINÆ CHRISTIANÆ* nomen, itaque infestos sibi illa reperebat.

SECVLI SECUNDI Capit. I.

bat ubivis, tum veteris idololatriæ Patronos, tum Philosophos, tum Judæos, tum Hæreticos.

II. Contra hos verò, cùm multi alii pugnaverè, quorum scripta periérunt, tūm hi superstites: *S. JUSTINUS MARTYR*, temporibus ANTONINI PII, & ejus Successorum; *S. ATHENAGORAS* (qui tamen nonnihil videtur MONTANI opinionibus fuisse;) ætate M. AURELII ANTONINI; quo tempore etiam vixit *S. THEOPHILUS*, Episcopus ANTIOCHENUS, & *TACIANUS*, Auctor florentissimæ, *contra gentiles* orationis, Justini Martyris Auditor, qui tandem, ad hæreticos defecit; *S. IRENÆUS* item, qui ætate SEVERI pro Christi fide Martyrio functus est, cuius hodiè miramur libros, contra Valentini aliorumq; Hæresin scriptos; & eodem deniq; tempore *TERTULLIANUS AFER*, Vir austerus & vehemens, sed doctissimus, adeoque πλύγεφθος, qui tamen & ipse corrupit laudem, quam merebatur, defectione ad Montani hæresin.

III. Eodem Seculo eversa paulò antè à VESPASIANO *JUDÆORUM REPUBLICA*, iisque denuò ab HADRIANO Imperatore, aut passim dispersis, aut ad internectionem deletis, etiam RABBINICA STUDIA, per Imperii Romani terras, una cum Scholis, penè exoleverunt.

IV. Nè tamen hoc infortunio periret avitarum memoria traditionum, (quas Judæi Legi Mosis scriptæ aqua-

6.  
7.

16.  
17.

18.

30.

29.

22.

2.

24.

25.

DFG

æquabant, imò in Mosen Auctorem referebant; quarumque Notitiā ex Patrum, ut ferunt, ore acceptā, constat illa JUDÆORUM SAPIENTIA;) cœptum est TALMUD BABYLONICUM conscribi, Auctore R. JEHUDA, quem apud ANTONINUM PIUM gratiâ maximâ floruisse scribunt, seu verius, fabulantur, quemque *Hak-kadosch* vel *Sanctum*, *Principem*, & *Rabbi*, appellant. Jaesta autem sunt initia Talmudis Babylonici A. C. cxc. perfectusque tum fuit Textus Talmudicus, qui Judæis vocatur, MISCHNA, seu *deuteréwotç*, sex Tractatibus digestus.

V. Eâdem tempestate AQVILAM Proselytum, Græcum Bibliorum Veteris Testamenti Paraphrassen, certum est floruisse; quem eundem esse, cum eo, qui *Quinque Libros Mosis*, Paraphrasi Chaldaicâ vertit, ONKELOS dictus Judæis, probabilibus argumentis vero simile satis reddi posset, si res exigeret. SEVERO Imperatore, denuò *Vetus Testamentum* ex Hebræo græcè vertit SYMMACHUS, è Samaritano Judæus; COMMODI ætate, eandem navavit operam THEODOTION, ex Marcionitâ Judæus; ita triplex hoc seculo Versio Veteris Testamenti prodiit.

CAPUT II.

*De*  
**PHILOSOPHIS.**

I. Hoc seculo etiamnum floruerunt, minus tamen, quam ante, omnes GRÆCÆ PHILOSOPHIÆ SECTÆ, quamvis Scriptores existent perpauci. II. IN PER-

SECULI SECUNDI Caput II. De Philosophis.

II. In PERIPATETICIS est **ALEXANDER APHRODISÆUS**, (quem sequens ætas præ aliis EXEGETAM ARISTOTELIS nuncupat;) Vir, in peripatetica disciplina, post Theophrastum, maximus, sub finem Seculi, SEPTIMIO SEVERO IMPERATORE. Usus hic erat Præceptoribus, ARISTOCLE MESSENIO & SOSIGENE, Viris clarissimis, sed quorum Scripta invidè interciderunt. Initio seculi claruit **ASPÄSIUS**, laudatissimus Peripateticus, sed nec ejus quicquam hodiè exstat.

III. Ex STOICIS habemus **ARRIANUM**, qui dicta factaque Epicteti memoriæ mandavit, ultimus Scriptorum Stoicorum omnium, qui quidem hodiè superant.

IV. Pro ACADEMIÆ, jam ferè demortuæ, honore, pugnare conatus est **PHAVORINUS**, Gallus, Præceptor Auli Gellii, ætate HADRIANI, sed nec ejus quicquam reliquum est.

V. Ex PLATONICIS ad hoc seculum pertinere videtur **ALCINOUS**, cuius exstat brevis & elegans *Introductio in Doctrinam Platonis*; quo tempore floruit etiam **PLUTARCHUS** Chæronensis, qui tamen ad Politica potissimum & Historica studia animum appulit, indeque gloriam immortalem reportavit; & **DION**, (quem ob aureum Eloquentiæ flu-  
men Chrysostomum vocamus,) superstribus declamatio-  
nibus Philosophicis clarus, non minùs, atque eodem  
nomine insignis fuit sub finem seculi, **COMMODO Cæ-  
fare**,

6.  
7.  
A  
16.  
17.  
18.  
30.  
29.  
22.  
2.  
24.  
25.

SECOLI SECUNDI Caput II. De Philosophis.

sare *MAXIMUS TYRIUS*, Philosophus itidem  
Platonicus.

VI. Ubi notandum PLATONICORUM atque PYTHA-  
GORICORUM cognomento, hâc ferè tempestate  
Novum Genus PHILOSOPHANDI coepisse. Haec-  
nùs enim omnes Sectæ Philosophorum Græcorum,  
sacra & mysteria religionum, quorum usus in vulgus  
erat, contempserant, & oppugnaverant, Persarum  
quoque & Ægyptiorum præstigias magicas irriferant,  
nunc verò cœperunt nonnulli illa admirari & colere;  
quod equidem non video, quâ alia occasione sit fa-  
ctum, quâm, quòd Christiana Doctrina, nomine  
optimi divini cultus, & miraculorum frequentia, omniū  
ferè hominum animos, vel occuparet, vel perstringeret.

VII. Memoratur inter illos Magos & Præstigia-  
tores *JULIANUS* Chaldæus, *de Chaldaicâ Theolo-  
giâ* editis Libris, inter primos olim clarus, *MARCI*  
Cæsaris ætate, cujus tamen scripta, divinâ sic curante  
providentiâ, interierunt.

VIII. Pertinet etiam ad hunc ordinem *LUCIUS*  
*APULEJUS*, Madaurensis, sed cuius hodiè nil su-  
perest, præter ludicram transformati asini fabulam, &  
nonnulla alia Philosophica, exigui tamen ponderis &  
momenti.

IX. Paulo ante, *DOMITIANO CÆSARE*, vixerat *APOL-  
LONIUS TYANEUS*, celebris ille Magus, cuius præ-  
stigias ausi sunt gentiles cum miraculis Servatoris nostri

com-

**SECULI SECUNDI Caput II. De Philosophis. & C. III.**

comparare! Vitam verò ejus, sedulo descripsit, à Severi Imperatoris Uxore invitatus, PHILOSTRATUS, etiamnum superstitem.

X. Floruit etiam NICOMACHUS Gerasenus, qui ex numerorum, nescio quibus arcanis, novam Theologiam condere est conatus, quiq; ex parte etiam hodie superat.

XI. Certè hoc demum tempore, videre est præstigias, non improbatas à nonnullis Philosophici cognomenti viris, tum multa scripta, sub Zoroastri & Mercurii Trismegisti, & Pythagoræ, & Pythagoriconrum aliorum nominibus ementitis edita, tantum, quo nova hæc Philosophandi ratio novitatis crimen à se amoliretur.

XII. Postremò vixit ANTONINO Imperatore CLAUDIUS PTOLOMÆUS, Astronomus, Astrologus & Geographus eximus, siquidem licet illum Philosophis annumerare:

**CAPUT III.**

*De*

**JCTIS.**

I. Duraverunt & nunc illæ à PROCULO, & CASSIO, CAPITONE ac LABEONE Auctoribus, coeptæ Dis-  
sensiones.

II. Initio quidem seculi, uti sub finem præcedentis, TRAJANO Imperatore, floruerunt PRISCUS FAVOLENUS, sectator Cœlii Sabini, & JUBENTIUS CELSUS, Pater, auditor Pegasi, adeoq; Proculeanus, sectâ. **III.**

6.  
7.

16.  
17.

18.  
19.

20.

21.

22.  
23.

24.

25.

**DFG**

SECVLI SECUNDI Caput III. De Jctis.

III. ADRIANO Cæsare, in pretio fuerunt CELSUS  
Filius, & PRISCUS NERATIUS, uterque auditor  
Celsi Patris, sed etaque itidem Proculeanus. Prisci etiam  
Javoleni Auditores, ABURNUS VALENS, TU-  
SCIANUS & SALVIUS JULIANUS, omnes sectæ  
Cassianæ; ex quibus SALVIUS JULIANUS  
imprimis clarus est, auctoritate HADRIANI Cæsaris,  
EDICTO PERPETUO, ex variis illis & desultoriis annalibus,  
Prætorumque edictis, haec tenus usitatis condito, quod  
postea summæ semper fuit dignationis, tertioque seculo  
commentatores invenit longè laboriosissimos, ULPIA-  
NUM, PAULUM & CAJUM, cuique tantum est auctoritatis  
attributum, ut Digestorum L. XLIX. Tit. V. de appella-  
tionibus recipiendis, vel non; scribatur: si ex Perpetuo  
Edicto aliquid decernatur, id, quo minus fiat, non permitti-  
tur appellare.

IV. Atque in his Jctis desinit POMPONII Locus, qui  
habetur ff. L. I. Tit. II. de Origine Juris. Quinā itaq; post  
HADRIANUM, ad SEVERUM usque, juris Scientiā clarue-  
rint, ferē nos latet; Nam quod quidam inter eos nu-  
merent TERTULLIANUM, Ecclesiasticum illum  
Scriptorem, eique attribuant Edictum Tertullianum,  
quod appellatur, id verò incertā, si non ineptā fit conjecturā,  
quam ipsa latinè loquendi ratio refellit, adeoque in medio à  
nobis meritò relinquendum.

V. Constat tamen SEVERO Imperatore, eminuisse AEMI-  
LIUM PAPINIANUM, Jctum in paucis clarum; verū ille  
memorix gratiā rectius refertur ad Seculum tertium; eoq; verē  
dici potest: Sectas illas, Capitone & Labeone Auctōribus, initio  
primi Seculi enatas, Seculo secundo paulatim interiisse.

## ADDITAMENTA

Declarando Auctoris Textui inservitura.

I. **C**um *Doctrina Christiana infestos sibi reperiret veteris Idolatriæ Patronos, Philosophos* (i.e. Paganos, tam ru-diores, quam eruditos,) *Judaos & Hereticos* (ut lo-quitur Auctor Cap. I. n. 1.) non defuerunt Scriptores inter Ecclesiasticos, qui ejusdem Veritatem Sanctitatemque assere-rent & defenderent, scriptis APOLOGETICIS, unde & APOLOGE-TARVM sub cognomine laudari solent. Distribui, quotquot eorum celebrantur, commodè poterunt, respectu Adversario-rum, quibus se opposuere, tres in Classes, quarum I. adversus Paganos, II. adversus Judæos, III. adversus Hæreticos, qui scripserunt, Doctores comprehendit. Ad Primam: ex Græcis: Justinus Martyr, Melito, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Neocæsariensis, Eusebius Pamphili, Athanasius, Hermias, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Johannes Chrysostomus, Cyril-lus Alexandrinus, Theodoreetus Cyri Episcopus; ex La-tinis: Tertullianus, Minutius Felix, Cyprianus, Arno-bius, Laetantius, Commodianus, Julius Firmicus Ma-ternus, Ambrosius, Augustinus & Prudentius pertinent. Ad Secundam, ex Græcis denuò: Justinus Martyr, Grego-rius Nyssenus, Johannes Chrysostomus, Basilius Seleu-ciensis; ex Latinis: Tertullianus vicissim, Hieronymus, Augustinus, Prudentius referri merentur. Tertiæ denique, ex Græcis: Irenæus, Athanasius, Didymus Alexandri-nus, Titus Bostrensis, Basilius M. Gregorius Nyssenus, Johannes Chrysostomus, Epiphanius, Cyrillus Alexan-drinus, Theodoreetus; ex Latinis: Tertullianus, Hilarius, Gregorius Bœticus, Phœbadius, Idacius Clarus,

Pa-

6.

7.

16.

17.

18.

30.

29.

22.

2.

24.

25.

*Additaments declarando Auctoris Textui inservitura.*

Pacianus, Optatus Milevitanus, Prudentius, Hieronymus, Augustinus, Orosius, Marius Mercator, & Vincentius Lirinensis, veniunt inferendi.

II. Ex vulgari sententiâ, Auctori etiam Cap. I. n. 2. recentâ, Irenæus non minus morte quâm vita claruit; postquam enim gregem sibi à Christo creditum 24. annis rexisset, cum relictum noluit Imperatoris Severi Persecutionis tempore, qua in Galliâ vel alibi nusquam acrius seviit, Lugduni mactatus est, cum omnibus Christianis, qui in ea urbe occurserunt, tanto numero, ut eorum sanguis viciis omnibus fluenter, ceu refert, & simul approbat Cl. du Pin, *Bibliotheca nova Ecclesiasticorum Auctorum T. I. p. 109.* Sed qui Fidem monumentorum scrutantur accuratius, si non approbent, ponderanda tamen censem, quæ habet Cl. Cave in *Scriptorum Ecclesiasticorum Historiâ Literaria p. 30.* verba: *Quod Irenæus Martyr fuisse vulgo dicatur, id sequiorum potius seculorum commentum censendum erit. Certè ignorâsse videntur vetustiores, Tertullianus, Eusebius, Augustinus, Theodoreetus: primus penè, qui hunc ei Titulum affingit, est Auctor Quest. & Respons. sub Justini nomine, non nisi quinti fortasse seculi Scriptor. Semel quidem Hieronymus Ireneum Martyrem vocat Comment. in Esai. C. LXIV. p. 240. sed fas erit dubitare, annon eo in loco vox Martyris in Textum irreperitur? Cùm nusquam alibi Hieronymus ipsum Martyrem dicit, ne quidem in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Irenæo ex professo agit.*

III. Appollonium Tianeum, à Paganis cum Christo, ratione miraculorum, non modò comparatum, sed eidem & prælatum fuisse, certum est; utrum autem Magus ille fuerit, an Philosophus, rerum naturalium peritisimus, æquè certum non est; prius vulgò statuitur, posterius exerciti gratiâ defendemus, peculiari aliquando opera D. V. materiam hanc discussuri.

*CORROLARIA PNEUMATICA.*

- I. Rectè in Pneumaticis præmittitur generalis de Spiritu Tractatio, subjunctâ de Deo, Angelis & Animabus humanis tractatione speciali.
- II. Spiritus generaliter rectè definitur per Substantiam immateriale.
- III. Quæ pro exponenda hâc definitione communiter in Libellis nostris Pneumaticis afferuntur, vera sunt; sed eo, quo tractantur modo, ex solo naturali Lumine non patent.


S. D. G.











¶ 23 ¶

*entia in mulieribus*, sive de erudita scientia in-  
t, sive quod verisimilius est, de naturali inge-  
a tamen nulla audacior esset dicta a quoquam  
vincere erroris ac temerarii asserti possint vide-

XVI.

, dum ad ipsum, quanquam tenuem & rarum  
orum recensum altera Dissertatione progredi lice-  
supereft, cum nequidem ad sacra studia legis  
mulieres admittere velint suas Judæorum Docto-  
rū magnum aut qualemcumque saltim profane  
atum ab iisdem nobis promittamus; præsertim,  
alieno sit animo tota gens Ebræorum a doctri-  
natura Græca Latinaque non modo humaniori  
loſophia addiscenda, fatis superque constat, &  
die certe, discedas, uti vix millesimus quisque  
os cætera Judæos vel prima elementa aut fa-  
rudimenta teneat, nemini cum ipsis con-  
fesse potest; magno quidem suo suæque con-  
is impedimento & singulari, ut arbitror, di-  
cio, quo fieri solet, ut quæ a nostris adversus  
hque scribuntur, (non fatis laudabili consilio)  
clausorum Librorum, ut prædictum est ab Es-  
int, quos nec evolvunt ac legunt nec legere  
inuis intelligunt aut in animum admittunt; At  
nationis dedecore, quippe quorum sapientiam  
in orbi ad invenienda disciplinarum variarum se-  
a eadem præluxisse non postremæ sortis Viro-  
sententia scriptis haud proletariis comprobata,  
et Judæis, quorum aliquis omnem sapientiam  
ganorum לקט ופיאה שהניזו להם חכמי